



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXXII. Resignationis. Irrita declaratur Collatio Beneficii Resignati, cum Ordinarius non habuerit potestatem, nec admittendi Resignationem in favorem, nec dispensandi in Ætate, quæ deficiebat ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

men subintelligitur, ex generali Regula, juxta quam quilibet actus secundum sui naturam, qua interpretationem recipit, factus esse censetur. Argumentum duci potest à simili in casu, quo Primogenitura Institutor alienationem illius expressis verbis non prohibuit; nihilominus enim prohibita esse censetur, per ea, quae cum communi tradunt

Bethius de pact. famil. Illustr. fol. 321. & seqq. Olymp. §. Primogenitura. n. 7. & 16.

Ratio est, quia is, qui Primogenituram instituit, praesumitur voluisse disponere ea omnia, quae sunt propria, & naturalia Primogenitura. Cum ergo natura istius ea sit, ut Bona illius integra, & sine aliqua diminutione gradatim veniant de Primogenito in Primogenitum, hoc ipso censetur voluisse prohibere alienationem illorum, & praecipere refectionem damnorum, per negligentiam Possessoris iisdem illatorum.

Ad 2. Regula illa, quod Dominus, qui male versatur in re sua, nemini teneatur, ut bene notat

Knipschild c. 12. cit. n. 77.

tum demum procedit, quando res simpliciter, & irrevocabiler ipsius est: secus verò est, si revocabiler tantum, vel certo solummodo (ut in Fideicommissis, & Primogenituris contingit) Dominus sit; tunc enim liber arbiter, moderator, & Dominus talis rei non est, sed tantum quoad fructus, & commoda ad dies vitae: post mortem verò res tali vinculo affecta ad proximos Agnatos, & Successores illata, & integra transfertur, & si ultimus Possessor rem illam deterioraverit, Haeredes illius de deterioratione tenentur, & reficere damna illata debent.

L. si servum. 91. ff. de V. O. l. si servum. 71. princ. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. in bello. 12. §. si quis servum. 7. ff. de Captiv. & Postlim. revers. l. adiles. 2. §. Pedius. 4. ff. de adl. Edict.

Non enim debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

L. non debet. 74. ff. de R. J.

Non ergo dubitandum est, quod Fideicommissarius, vel ejus Haeres, si ille quid damni negligentia, vel culpa sua rei Fideicommissio subjecta intulerit, reficere debeat.

35.

CONSILIUM LXXII.

In Causa Resignationis in favorem

coram Ordinario.

SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. 3. Facultas dispensandi in aetate quoad Beneficia competit soli Papa.
4. 5. Hinc Dispensatio Episcopi, & subse-

6. Si Collatio Beneficii est nulla.
6. Si Collatio Beneficii cassatur à Papa, ad eundem ob oppositionem manus pertinet nova Collatio.

FACTI SPECIES.

i.



Austinus, Canonicus F. in manus Ordinarii dimisit Praebendam suam, cum petitione, ut conferatur illi Fratri suo Reinhardo. Annuit petitis Ordinarius, unaque cum Reinhardo, quippe qui aetatem, ad obtinendum Beneficium, tum nondum habuit, in hoc defectu dispensavit. Proin illi Capitulum possessionem decrevit, cum clausula tamen, ut fieri assolet, Salvo jure alterius quocunque, additaque obligatione litem omnem, si qua emergeret, gerendi expensis propriis. Victorinus de hoc edoctus, rem in secreto Romam defert, & operà Illustrissimi Nuntii Bullam impetrat, qua Collatio haec annullatur, & Canonicatus Victorino conferitur, designatis etiam Commissariis, qui

hanc Sanctissimi voluntatem, adhibitis opportunis remediis exequantur.

QUÆRITUR I.

An Collatio Canonicatus Questionis, Reinhardo facta, fuerit valida?

Videtur fuisse valida, interveniente Dispensatione Ordinarii, circa defectum aetatis facta; nam Dispensatione in Impedimento, tollitur Impedimentum. Videntur autem Episcopi dispensare posse in Impedimento aetatis, requisita ad Beneficia: idque r.

ob c. un. de aetate, & qualis. pract. in 6. Ubi permittitur Episcopis, ut cum iis, qui 20. annum impleverint, liberè dispensare possint

2.

ad Dignitates, & Personatus, quibus animarum cura non est annexa. 2.

*ob c. praterea. §. extr. eod.*

Ubi dicitur, quod Clerici, in Minoribus constituti, ex Dispensatione Episcopi possint ad Parochialem Ecclesiam assumi. Non autem indigerent Dispensatione Episcopi, si haberent aetatem legitimam. Ergo &c.

3.

Sed, his non obstantibus, dicendum, facultatem dispensandi in aetate quoad Beneficia competere solum Papae.

Ita Rebuff, *Prax. tit. de Dispens. rat. atat.* Garc. *de Benef. p. 7. c. 4. n. 57.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 5. q. 9.* Less. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 108.* Barbof. *in c. ex ratione. 2. n. 1. de atat. & qualit. & alii communiter.* Et colligitur ex *c. ex ratione. cit.*

Ratio est, quia Episcopus non potest relaxare Jus commune Canonicum, nisi id specialiter, & expresse ei fuerit concessum. Defectus autem aetatis ad certos annos est introductus Jure communi, & hoc Jure impedit affectationem Beneficii. Ergo in hoc defectu Episcopus, secluso speciali Privilegio, vel Indulto, dispensare non potest. Aliud foret, si certa aetas in promovendis solum requiratur ex Statuto particularis Ecclesiae specialiter; nam tunc dispensare Episcopus in ea aetate cum Capituli consensu potest; quia talis Dispensatio fieret in proprio ipsorum Jure, & Statuto.

Laym. *in c. ex ratione. cit. n. 2.*

4.  
Deciditur  
Quaestio.

Ex his patet Responsio ad Quaestionem Num. 2. propositam; respondendum enim est, Collationem Canonicatus controversi, praeciso speciali Privilegio, vel Indulto, ex quo Ordinario data esset potestas sic dispensandi, esse ipso Jure nullam, quippe ad quam validandam fuit requisita Dispensatio Pontificis in defectu aetatis, quo laborabat Reinhardus.

Ita Abb. *in c. 2. cit. num. 4.* Garc. *de Benef. p. 7. c. 4. n. 82.* Pal. *tract. 13. D. 4. p. 3. n. 21.* Barb. *de Offic. Episc. alleg. 60. n. 78.* & ab his *citt. complures.* Colligitur ex *c. licet. 14. ibi: Viribus omnino carere. de Elect. in 6.*

Estque doctrina ista ita generalis, ut procedat 1. Etsi ad aetatem requisitam modicum tempus, e. g. unica dies, vel etiam hora defuit; quia in his, quae a Jure determinata, & limitata sunt, non licet arbitrari.

Garc. *l. cit. n. 83.*

Procedit 2. Etsi per ignorantiam, bona fide putans se habere aetatem legitimam, Beneficium accepisset; nam adhuc nulla est Collatio, & si ad legitimam aetatem pervenerit, opus habet nova Collatione: alioquin Beneficio abdicare se debet.

Pirhing *de atat. & qual. n. 18.*

Procedit 3. Etsi ita promotus tempore, quo institutus est in Beneficio, habilis fuerit; quia concessio, quae ab initio irrita est,

tractu temporis non convalescit, juxta

*Reg. 18. in 6.*

Merito igitur cassata per Bullam Apostolicam fuit dicta Collatio Canonicatus, facta Reinhardo: idque ob duplicem Rationem, ibidem insinuatam. 1. Quia Ordinario non competit potestas dispensandi in aetate requisita ad Beneficium obtinendum. 2. Quia in Constitutione S. Pij V. Ordinariis expresse prohibetur, ne Resignationem Praebendae, in manus eorum factam, eatenus acceptent, ut eam proximis Consanguineis, vel Affinibus conferant, prout factum est in Casu praesenti. Neque aliud probant Argumenta, Num. 2. allata. Ad 1. Jus illud correctum est per novum

Trid. *sess. 24. c. 12. de Reform.*

ubi statuit, deinceps ad Personatus, & Dignitates, quibus animarum cura nulla subest, adfiscendos 22. annis non minores. Ad 2. Solutionem dat textus ipse; nam subjungitur, *Dum tales tamen sint, quod infra breve tempus* (videlicet intra unum annum a tempore, quo Beneficii possessionem quis adeptus est, computandum) *possint in Presbyteros ordinari.* Posita jam hujus Collationis Nullitate, ulterius

## QUAERITUR II.

*Ad quem hoc Casus pertineat Collatio Canonicatus resignati?*

RESP. in posito Casu Collatio, uti haecenus explicatum est, facta est subiecto inhabili, quo casu, uti & quando Indigno, vel digno quidem, & habili, sed post tempus a SS. Canonibus praefinitum Beneficium aliquod collatum est, Jus conferendi illud ad Superiorem devolvitur, prout statutum est *c. licet. 3. de supplend. neglig. Pralat. & c. nulla. 2. de concess. Prab.* Ad quem vero Superiorem in praesenti Casu Collatio Canonicatus Quaestionis devolvatur, dubium facit textus *c. nulla. cit.* ubi statutum est, ut in Casu, quo Collatio Beneficii pertinet ad Episcopum, secluso Capitulo, Capitulum Episcopi; ubi vero illa spectat ad Capitulum, secluso Episcopo, Episcopus Capituli defectum suppleat: idque ob communicationem, quae est inter Episcopum, & Capitulum, tanquam caput, & membra ejusdem corporis, ut merito unius defectus per alterum suppleatur.

Abb. *in c. nulla. cit. n. 6. & 8.*

Sed quidquid sit in aliis Casibus, in praesenti Casu judico Collationem pertinere ad Pontificem, si non Jure devoluto, saltem ob appositionem manus, ab ipso factam, dum per Breve Collationem factam Reinhardo, cassavit: ut adeo tutus videatur esse Victorinus, cui Papa Canonicatum Quaestionis contulit, & si lis ipsi a parte adversa intentetur, sperare tutelam a Pont. merito possit.

CON-